



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Theoderici Regis Qvondam Ostrogothorum & Italiæ**

**Cochlaeus, Johannes**

**Ingolstadii, 1544**

**VD16 C 4410**

De Cavsa Iohannis Papæ I. & Illustrium Duorum uirorum Symmachi &  
Boecij Cap. XIX.

**urn:nbn:de:bvb:12-bsb00004354-8**

generis pondera, conjugalis affectus curam sibi præcipuam  
iudicauit, Nō immerito, Quia in honore esse meretur, un-  
de reparatio posteritatis acquiritur. Omne facinus autho-  
res solos insequitur, error matris transit ad filios, & nouo in-  
foelicitatis euentu sit dedecus. propriū scelus alienum. Ideo  
enim iura uel diuina uel publica, nexum coniugij tanta cau-  
tela præcipiunt custodiri, ut crimen sit magnū conscientia,  
alienos affectus in reuerentiam non habere.

## DE CAUSIS IOHANNIS

Papæ I. & Illustrum Duorum uirorum Sym-  
machi & Boetij Cap. XIX.

Vicia The.

SVpra dictas laudes & uirtutes Reges Theoderici obscuro  
sunt ac maculant nouissimi anni uitæ & regni eius duo  
facinora, propter quæ sane ab omnibus fere historicis infamatur,  
Tyrannidisq; & crudelitatis non accusatur modo sed  
etiam uelut conuictus damnatur. Nempe quod Iohānem  
Papam eius nominis primum, quem Constantinopolim ad  
Iustinum Aug. miserat, reuersum Rauennæ detinuit, atq;  
carceris squalore confecit & extinxit, Quodq; Clariss. uiros  
Symmachū & Boetiū in exiliū actos Ticinitanē interfecit.

Nolim equidem hunc regem, qui Arrianus fuit, ab omni  
crimine immunem asserere. Cuius uitā in hoc dumtaxat  
descripsi, ut in Reipub. administratione Regibus atq; Prin-  
cipibus nostri temporis in multis optime factis exemplo sit.  
Verum tamen si æquus lector consideret, hunc uirum purū  
hominem, non Deum fuisse, non mirabitur eum, saltem per  
sectæ, qua à puero imbutus erat, errorem & per subrepti-  
onem aut calumniam, aut etiam per falsæ suspicio-  
nis argumenta, quædam egisse quæ homines Catho-  
lici probare non possint, Certe nemo negare poterit,  
hunc



hunc Regem multis annis & reuerentiam & honorem exhibuisse Romanis tum Pontificibus tum senatoribus.

Quod autem in Iohannem primum seuijt tandem, à Iustino Augusto data est, si non causa, certe occasio. Ita enim habetur in uetusto libro Pontificali, Iohannes, Natione Tuscanus, ex patre Constantio, sedit annos duos, menses IX. dies XVII. fuit autem à Consulatu Maximi, usq; ad consulatū Olybrij, temporibus Theoderici Regis & Iustini Augusti Christiani. Hic uocatus est à rege Theo. Rauennam, quem ipse Rex rogans, misit in Constantinopolim cum legatione ad Iustinum Imp. Orthodoxum. Eodem quippe tempore, Imperator uir religiosissimus, summo amore religionis Christianæ, uoluit Hæreticos extricare. Nam summo seruore religionis Christianitatis hoc consilio usus est, ut Ecclesias Arianorum Catholicas consecraret. Pro hac causa Rex Theo. Hæreticus, hoc audiens, exarsit in iram, & totam Italiã uoluit gladio extinguere. Eodem tēpore Iohānes Papa, ægrotus egressus cū fletu ambulauit, pergens ad urbem Constantinopolim, & senatores cum eo, scilicet, Theodorus, Imperatoris & Agapitus Exconsules, & alius Agapitus Patritius. Accipientes hoc in mandatis legationum ab ipso Rege, ut redderentur Ecclesiæ Hæreticis in partibus Orientis. Quod si non, omnem Italiam gladio perderet.

Qui cum ambulassent cum Iohanne Papa, occurrerunt B. Iohanni PP. à Militario XII. omnis ciuitas cum cæreis & crucibus, in honorem beatorum Apostolorum Petri & Pauli. Quia ueteres Græcorū hoc testificabantur dicentes. A tempore Constantini & à B. Syluestro sedis Apostolicæ Episcopo, usq; ad Iustini tempora, non meruisse partes Græciarum Vicarium B. Petri Apostoli suscepisse cū gaudio & gloria. Tunc Iustinus Augustus, dans honorem Deo humiliauit se pronus in terram, & adorauit beatissimū Iohāne

Nn iij PP. Eodem

Historia de Iohanne Papa I.

et colligitur  
et colligitur  
et colligitur

Honores Iohāni PP. Constanti nopoli exhibiti.



PP. Eodem tempore B. Iohannes PP. cum senatoribus suis  
prescriptis, cum grandi fletu rogauerunt Iustinum Aug. ut lega-  
tio acceptabilis esset in conspectu eius. Qui Iohannes PP.  
& senatores, uiri religiosi, omnia meruerunt, & liberata est  
Italia à Theoderico rege Hæretico. Iustinus autē Imp. gau-  
dio repletus est, quia meruit suis temporibus Vicariū B. Pe-  
tri Apostoli uidere in regno suo. De cuius manibus cum glori-  
a coronatus est. Hæc ibi.

**Epistola Io-  
hannis PP.  
ad Italiae  
Episcopos.**

Iohannes autem PP. domum reuersus ex legatione, ad  
Italiae Episcopos dedit Epistolam in hæc uerba, Iohannes  
Episcopus omnibus per prouincias Italiae constitutis Episco-  
pis in domino salutem. Sæpissime multo iam experimento  
didici, sanctū pietatis uestræ studiū circa religionē Christi-  
anā, gloriosis crescere & dilatari augmentis. Et fides recta,  
quæ non solum me, sed omnes Domini sacerdotes consolatur  
& roborat, uestris in mentibus & operibus per sacerdotale  
agnoscitur opus, & dilatatur. Quapropter fratres hortor  
uos & moneo, contra Arrianam perfidiam, quæ olim nō se-  
mel sed sæpe damnata est. Et modo in quibusdā reuiuiscit,  
Armarī gladio Spiritus sancti, ut eam ita adminiculante di-  
uina gratia, opprimere & extirpare ualeamus, ut nec radix  
eius in posterum inueniatur. Ecclesias uero Arrianorū, ubi  
cūq; inueneritis Catholicas eas diuinis precibus & operibus  
absq; ulla mora consecrate. Quia & nos, quādo suimus Con-  
stantinopoli, tam pro religione Catholica, quam & pro Re-  
gis Theo. causa negotij, suadente atq; hortante Arrianosq;  
extirpate Pijssimo atq; Christianissimo Iustino Orthodoxo  
Imperatore, Quascunq; illis in partibus eorum Ecclesias res-  
perire potuimus, Catholicas eas domino opem ferente con-  
secrauimus. Et quamq; prædictus Theo. Rex eorum peste  
tactus intrinsecus, & obuolutus extrinsecus nos & omnem  
regionem nostram perdere, & gladio & igne consumere  
minetur.



minetur, Nolite tamen propterea deficere, & uiriliter in agro dominico elaborare studete, & iuxta ueritatis uocem Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem nō possunt occidere, sed potius eum timete, qui potest animā & corpus mittere in gehennam. Hæc ibi.

Quod si uere ab hoc Pontifice sic edita fuit ista Epistola, non mirabor equidem, iratum ei fuisse regem Theodericū, tum quod contra legationis causam et mandatū, in partibus Orientis Ecclesias Arrianis eripuerat, & Catholicas confecrando fecerat. Tum quod in publico scripto ausus fuerit eum regē crimine hæresis infamare, & audacter dicere, quod Arrianorum peste esset tactus intrinsecus & obuolutus extrinsecus; Cum ille putaret, Arrii fidē esse uerissimā Christi & sanctorum patrum, qui ante Arrium suere, per totū Orbem fidem rectam & Catholicam, ea opinione à puero usque imbutus.

Neque tamen alia in illum atrocitate pœnarum animaduertisse dicitur, nisi quod ipsum una cum alijs legationis illius socijs carceri mancipauit, in quo extinctus sit pedore squalore & inedia, ut refert Sabellicus. Paulus autem Diaconus ait sic. Theodericus ductus malicia, quod Pontificem Iustinus Catholicæ pietatis defensor honorifice suscepisset, eum simul cum socijs, carceris afflictione peremit. Sed hanc eius inmanissimam crudelitatem mox animaduertio diuina secuta est. Nam Nonagesimo Octauo, post hoc facinus die, subita morte defunctus est. Cuius animam solitarius quidam apud Liparam Insulam, uir magnæ uirtutis aspexit, inter Iohannē Papam & Symmachum Patritium deduci & in Vulcani ollam, quæ ei loco proxima erat, demergi.

Hæc ille Diaconus, quæ ex S. Gregorij Dialogis desumpsisse uidetur. Vbi recitat sanctus pater, ex ore Iuliani, secundum defensoris Ro. Ecclesiæ, quod Theoderici regis temporibus pater

Causa fræ  
Theoderici  
contra Ios  
hannē PP.

Verba  
Pauli Diacon.

Gregori in  
Dialogis  
lib. 4. c. 30.

pater



pater loceri eius, in Sicilia exactionem Canonis egerat, atq;  
iam ad Italiam rediebat, cuius nauis appulsa est ad Insulam  
quæ Liparis appellatur. Et quia illic uir quidam solitarius  
magnæ uirtutis habitabat, Dum nauis armamenta  
repararent, uisum est prædicto patri loceri eius ad eundem  
uirum Dei pergere, seq; eius orationibus cõmendare. Quos  
uir Domini cū uidisset, eis inter alia colloquens dixit, Scia  
tis, quia Rex Theodericus mortuus est? Cui illi protinus res  
sponderunt. Absit, nos eum uiuentē dimisimus, & nihil tale  
ad nos de eo nunc usq; perlatum est. Quibus Dei famulus  
addidit dicens, etiã mortuus est. Nã hesternò die hora No  
na inter Iohannē Papam & Symmachum Patriciũ, discin  
ctus atq; discalciatus & uinctis manibus deductus, in hanc  
uicinã Vulcani ollam iactatus est, quod illi audietes, sollici  
te conscripserunt diem, atq; in Italiam reuersi, eo die Theode  
ricum regem inuenerunt fuisse mortuũ, quo eius exitus atq;  
supplicium Dei famulo fuerat ostensum. Et quia Iohãnem  
Papam affligendo in custodia occidit, Symmachum quoq;  
Patritium ferro trucidauit, ab illis in ignem mitti apparuit,  
quos in hac uita iniuste iudicauit.

Anima  
Theo. regis  
æternaliter  
damnata.

Hæc Gregorius, Quæ profecto neq; ab ipso, neq; etiam à  
Iuliano Defensore, ne à Solitario quidem conficta credides  
rim, neq; negauerim, sanctos illos homines à rege Theoderi  
co iniuste interemptos fuisse. Neq; miror, si anima huius res  
gis sit protinus ab exitu huius uitæ in Infernum detrusa, etiã  
si nihil mali in prædictos uiros perpetrasset, sufficiebat enim  
una illa Hæreticæ labe causa ad æternam eius damnationē,  
iuxta illud Symboli B. Athanasij. Quicũq; uult saluus esse,  
ante omnia opus est ut teneat Catholicam fidem, quam nisi  
quisq; integrã inuolatamq; seruauerit, absq; dubio in æternũ  
peribit. Nihil igitur prodesse poterant huic Regi, qui extra  
Ecclesiæ fidem & unitatē in Arriana uixit hæresi, ad æternæ  
salutis



salutis consecutionem tam præclaræ in uita & moribus uirtutes, et adeo pulchra ac salutaria. In Reipub. administratione tum facti rû exemplatum legum et iustitiæ constituta, quia extra Ecclesiam & fidem Catholicâ nulla potest reperiri uera uirtus. Omnium enim uirtutum forma & uita Charitas est, sine qua nihil ad salutem prodesse potest, non fides, non prophetia, non eleemosyna, ne martyriû quidem, sicut apertissime docent Paulus Apostolus & Cyprianus Martyr, ac Pontifex.

Quantum uero ad Boetiû & Symmachi, uirorum Consularium et Patritiorum, causam attinet, crediderim equidẽ, eos à rege Theoderico non absq; magna ratione in exilium actos fuisse, quorum opera tam honorifice persæpe usus fuerat, et quos tantis euexerat honoribus, ut inter senatores uix ulli essent illis uel honoratioribus uel autoritate maioribus. Extant sane aliquot Regis illius ad eos Epistolæ, in quibus ita magnifice prædicantur, ut uix ulla alia supersint scripta, in quibus uel amplior uel solidior laus eorum exprimitur.

Etenim ad Boetiû scribens, inter cætera sic ait. Domestici <sup>Verba</sup> partis Equitum & Peditum, qui nostræ Aulae uidentur <sup>Theo. ad</sup> giter excubare, quod ex magnis fieri doloribus solet, aduna <sup>Boetium.</sup> ta nobis supplicatione cõquesti, ab illo Arcario Præfectorû, pro emolumentis solennibus, nec integri ponderis solidos percipere, & in numero grauiâ se dispendia sustinere. Quas propter prudẽtia uestra, lectionibus erudita dogmaticis, sceleratam falsitatem à consortio ueritatis eñciat, ne cui sit appetibile, aliquid de illa integritate subducere. Et in alia rursus ad eundem bene longa Epistola, sic exorsus est.

Spernenda nõ sunt, quæ à uicinis Regibus præsumptio- nis gratia postulantur, dum plarumq; res paruæ, plus præ- ualent præstare quam magnæ possunt obtinere diuitiæ. Fre- quenter enim quod arma explere nequeunt, oblectamina

Oo suauitatis



Horologiū.

suauitatis imponunt. Sit ergo pro Repub. & cum ludere uis demur. Nam ideo uoluptuosa quærimus, ut per ipsa seria cōpleamus, Burgundionū itaq; dominus à nobis magnopere postulauit, ut horologiū, quod aquis sub modulo fluentibus temperatur, & quod Solis immensi cōprehensa illuminatio ne distinguitur, cum Magistris rerum ei transmittere deberemus, Quatenus impetratis delectationibus perfruendo, quod nobis est quotidianum, illis uideatur esse miraculum. Merito siquidem respicere cupiunt, quod Legatorum suorū relationibus obstupescunt. Hoc te multa eruditione saginatum, ita nosse didicimus, ut artes quas exercent uulgariter nescientes, in ipso disciplinarum fonte potaueris.

Magna  
Boetij laus  
ab eruditio  
etc.

Sic enim Atheniēsiū scholas longe positus introisti, sic palliatorum choris miscuisti togam, ut Græcorum dogmata doctrinā feceris esse Romanam. Didicisti enim qua profunditate cum suis partibus speculatiua cogitetur, Quare ratione Actiua cū sua diuisione discatur, deducens ad Romuleos senatores quicquid Cecropidæ Mūdo fecerāt singulare. Translationibus enim tuis Pythagoras Musicus, Ptolemæus Astronomus leguntur Italiæ. Nicomachus Arithmeticus, Geometricus Euclides audiuntur Ausonijs, Plato Theologus, Aristoteles Logicus, Quirinali uoce disceptāt, Mechanicum etiam Archimedem Latialem Siculis reddidisti, & quascunq; disciplinas uel artes fecunda Græcia per singulos uiros edidit, te uno auctore patrio sermone Roma suscepit. Quos tanta uerborum luculentia reddidisti claros, tanta linguæ proprietate cōspicuos, ut potuissent & illi opus tuum præferre, si utrumq; didicissent. Tu artem prædictam, ex disciplinis nobilibus natam, per Quadrifarias Mathesis ianuas introisti. Tu illā in Naturæ penetralibus confidentē, auctorum libris inuitantibus, cordis lumine cognouisti, cui ardua nosse usus, monstrare propositū est, molitur ostendere quod



quod obstupescant homines euenisse, mireq; modo naturis conuersis, facti detrahit tidem, Cum ostendet ex oculis uisionem. Facit aquas ex imo surgentes præcipites cadere, ignem pöderibus currere, organa extraneis uocibus insonare, & peregrinis flatibus calamos complet, ut iniuncta possint arte cantare.

Est rursus alia bene proluxa ad eundem Boetium, Regis Theoderici Epistola. In qua sic habet exordium. Cum Rex Francorū, conuiuij nostri fama pellectus, à nobis Cytharodes dum magnis precibus expetisset, solatatione cōplendum esse promissimus, quod te eruditionis Musicæ peritum esse noueramus. Adiacet enim nobis doctum eligere, qui disciplinam ipsam in arduo collocatā, potuistis attingere. Quid enim illa præstantius, quæ cæli machinam sonora dulcedine modulatur, & naturæ convenientiam, ubiq; dispersam, uirtutis suæ gratia comprehendit. Hæc Rex ad Boetium.

Ad Symmachum quoq; scripsit, sed alijs de causis & rebus, in quibus eius uirtutū & industriam cōmendat. Etenim contra eum, qui patrem suum impie pulsauerat, multa de pietate referens, circa finē sic prosequitur cōmissionem. Quid ergo homines facere debebunt, quando & hanc pietatē auib. in esse cognoscunt? Romulum itaq; qui facti sui acerbitate pollurus, nomen foedat Romanum, ad uestrum facite uentis re iudicium. Et si eum patri suo Martino manus iniecisse cōstituerit, protinus legitimā sentiat ultionem. Quia ideo eligimus mores uestros, quia crudelibus parcere nō potestis, quādo genus pietatis est, in illos distringere, qui contra naturæ ordinē sceleratis se docentur actionibus miscuisse. Hæc ibi.

In alia uero ad eundem Symmachū Epistola sic scripsit. Cū priuatis fabricis ita studueris, ut in laribus proprijs quædam moenia fecisse uidearis, dignum est, ut Romam, quam domum pulchritudine decorasti, in suis miraculis continere

Oo ij noscaris.

Tertia Theoderici  
Epistola ad  
Boetium.

Verba  
Theodo. ad  
Symmachū.

Laus Symmachii ab ingeniosis fabricis.



noscaris. Fundatur egregius fabricarum, earumque comptor  
eximius. Quia utrumque de prudentia uenit, & apte disponere,  
& extantia competenter ornare. Notum est enim quanta laus  
de in suburbanis suis Romam traxeris, ut quem illas fabricas  
intrare contigerit, aspectum suum extra urbem esse non sen-  
tiant, nisi cum se et agrorum amoenitatibus interesse cognoscat.  
Antiquorum diligentissimus imitator, modernorum nobis-  
simum institutor, Mores tuos fabricae loquuntur. Quia ne-  
mo in illis diligens agnoscitur, nisi qui & in suis sensibus or-  
natissimus inuenitur. Et ideo Theatri fabricam, magna se mo-  
le soluentem, consilio uestro credimus esse roborandam, ut  
quod ab authoribus uestris in ornatu patriae constat esse con-  
cessum, non uideatur sub melioribus posteris imminutum.  
Et post multa, in fine expensas (inquit) uobis de nostro cu-  
biculo curauimus destinare, ut & uobis acquiratur tam boni  
operis fama, & nostris temporibus uideatur Antiquitas des-  
centius innouata. Haec ad Symmachum Rex Theo. Quis  
ergo credat, hunc Regem, tam studiosum senatus, Reipub.  
amantem, absque magna ratione aut causa, istos duos senato-  
res, tam nobiles ac illustres, Reipub. tam utiles ac necessarios,  
a deo charos sibi eiusque regno & nomini honorificos, uel rele-  
gasse uel de medio tandem tulisse? Historici nostri Catholici,  
odij in Arrianos zelo accensi, ipsum quidem factum acerba  
uerborum exaggeratione detestantur, sed causam leuiter per-  
stringunt, ac uix bene attingunt, facile tamen crediderim, Ca-  
tholicae religionis assertionem, praebuisse & ipsis odium in re-  
gem Arrianum, & regi suspicionem aduersus eos, tanquam  
nouarum rerum cupidos, quod maluerint Romam & Italiae  
Imperio restitui, & Orthodoxo tradi Imperatori, Augusti  
nomen habenti, quam perpetuo sub Arrianorum dominatione  
premi. Siue igitur uere id intenderint, pii & generosi uiri  
illi, siue falsa delatione in suspicionem uenerint, haec potissimum  
crediderim

Religio di-  
uersa odium  
parit.



crediderim fuisse causam, quod Ticinum legati fuerunt ac demum, post reditum Iohannis Papæ, qui tam aperte contra Arrianos egit & scripsit, eorumque extirpationem intendit, fuerint occisi, ne quid pro Iustino Aug. aduersus Ostrogothorum regnum moliri possint.

Sic enim ait Blondus, Iustinus Imperator hæresum radicibus per Orientem extirpandis intentus, eiecit omnes Arrianæ sectæ Episcopos, priuauitque commissis Ecclesijs sacerdotes. Tulit uero eam rem grauius Theodericus Italiae rex, ipsa Arrianorum labe, quam maiores sui sub ualente Imperatore imbiberant, inquinatus. Quamquam non magis molestam habuisse Arrianorum infectionem quam suspectam omnem boni Imperatoris noui uitam duxisse uidetur. Hinc optimos ciues Romanos Symmachum & Boetium suspectos habuit, eosque exacto Consulatus anno, deferentibus Opilione & Gaudentio factiosissimis ciuibus, Papiam relegauit, Quo in tempore Theodatum nepotem ex Narbonensi prouincia reuocans, Etruriam præfecit. Et ne Romani ciues ob Symmachi & Boetij relegationem, de solita benignitate diffiderent, rex Senatui permisit, unum ex gente Patritia mitterent Theodatum in Narbonensi prouincia successorem. Hæc Blondus.

Otto autem Episcopus olim Frisingensis, etsi Theodericus cum maxime criminatur Tyrannidis, causam tamen relegationis hæc exprimit uerbis. Cernens hoc clarissimus uir, consularis ordinis Anitus M. Boetius, ac rationis intuitu animaduertens, dum Tyrannidi eius obuiare molitur, ab eo in exilium trusus, Papiæ in carcere ponitur, ubi de contemptu Mundi Philosophicum ualde utile scripsit opus.

Quod igitur non absque omni suspicionis causa relegati fuerint, atque etiam tandem occisi, Clarissimi illi uiri, argumentum est, quod neque ulla extant eorum scripta, in quibus de Theoderici regis Tyrannide fuerint conquesti, neque ulla pro ipsis

Quo in reperitur suspectos.

Verba  
Blondus!

Otto Frisingensis  
gen. lib. 5.  
c. 1.

Boetium &  
Symmachum  
fuisse Theoderico suspectos.



reperitur uel querela uel intercessio senatus ad Regem, neque post obitum Theoderici ulla Romæ exorta sit aduersus regni eius successores rebellio. Quod utique facile potuisset fieri, si propter occisos Symmachum & Boetium rex fuisset uel senatui uel populo Ro. exosus. Quandoquidem Hæredes et regni successores post se reliquit duas per sese imbelles personas, Amalasiuntam filiã et Athalaricum nepotem puerũ, uix bene Octo ætatis annos habentẽ. Quibus tamen nemo profusus repugnauit. Id quod facile cognoscitur ex ea Epistola, quam nouus post obitum Theoderici Rex ad senatũ dedit. Sic enim ait.

Epistola  
Athalarici  
nouo Regis  
ad senatũ.

Plenissimũ gaudium constat esse P. C. cognoscere Dominantis exortum. Vt qui creditur uniuersos posse protegere, audiatur ad regni culmina peruenisse, Quem non protulit cõmota seditio, non bella feruentia pepererunt, non Reipub. damna lucrata sunt, Sed sic factus est per quietẽ, quẽ admodum uenire docuit ciuilitatis authorem. Magnũ profecto fidelitatis genus, obtinere sine contentionibus principatum, & in illa Repub. adolescentem Dominum fieri, ubi multos constat maturis moribus inueniri. Non enim potest cuilibet ætati deesse consilium, ubi tot parentes publicos constat inuentos, Prælata est ergo spes nostra cunctõrum meritis, & certius fuit de nobis credi, quam quod de alijs potuit approbari. Nõ iniuria, quoniam quæuis claritas generis Amalæ cedit. Et sicut qui ex uobis nascitur, origo senatoria nuncupatur. Ita qui ex hac familia progreditur, regno dignissimus approbatur.

Theoderici  
in extre  
mis Regem  
constituit  
nepotulum  
suũ ad huc  
pauerum.

Probata sunt præsentifaculo quæ loquimur. Nam cum Domini Aui nostri pro beneficiorum quãtitate, dulcissima nobis recordatio urgeretur extremis, Magnitudinem dominationis suæ tanta in nos celeritate transfudit, ut non tam regnum quam uestem crederes esse mutatam. Tot proceres,  
manu



manu cōsilioq; gloriosi, nullū murmur (ut assolet) miscuerūt.  
Sed ita cum magno gaudio secuti sunt principis sui iudicia,  
ut uoluntatem ibi potius agnosceres confluisse diuinam.  
Quapropter necessarium duximus, propicio Deo, de ortu  
Regni nostri uos facere certiores. Quia dilatātū potius quā  
mutatum uidetur imperium, cum transit ad posteros. Nam  
quodāmodo ipse putatur uiuere, cuius uobis progenies cogit  
noscitur imperare. Hæc habuerunt uestra uota, hæc illius  
fuit indubitata sententiā, ut hæredem bonorum suorum res  
linqueret, qui beneficia eius in uobis possit augere. Amore  
principum cōstat inuentum, ut simulacris æneis fides seruas  
retur imaginis, Quatenus uentura progenies auctorem uis  
deret, qui sibi Rempub. multis beneficijs obligasset. Sed quā  
to uerior est, qui uiuit in posteris, per quos plarūq; & forma  
corporis redditur, & Vigor animi protelatur.

Hæc & id genus multa in suis Rescriptis nouellus Rex, in  
laudē Aui sui, absq; odij aut inuidiæ metu, publice professus  
est, et permansit laus Theoderici in Repub. Ro. immota, usq;  
in finem Imperij Gothorum. Nam & Vitigis Rex, post in  
terfectum Theodohadum regem, mox à sui electione, pro  
misit publico Edicto, tale imperium suum, quale Gothos ha  
bere deceret post inclytum Theodericum, qui ad regni curas  
singulariter et pulcre cōpositus fuerat, ut merito unusquisq;  
principum tantum præclarus intelligatur, quantum cōsilia  
ipsius amare dignoscitur. Haftenus ex Cassiodoro dictū sit.

Reliqua de hoc rege, ex alijs duobus contemporaneis au  
thoribus (quibus iustius quam posterioribus habeatur si  
des) referētur, utpote ex Procopio & Sidonio. Etenim pro  
copius de exitu Theoderici sic refert, Annos itaq; Theoderi  
cus, cum septē & Triginta superuixisset, uitam finiuit. Qui  
utiq; ut hostibus horribilis fuit, ita & subiectis immodicū sui  
desyderium moriendo reliquit. Sed mortis illi hæc causa fuit  
Symmchus,

Laus The.  
usque ad  
finem regni  
Gothorum.

Verba pro  
copij.



Alij 38. an-  
nos regno  
eius tribuit  
Anni uero  
uitæ longe  
plures fue-  
runt. Non  
enim puer,  
sed uir iam  
erat, quādo  
Italiæ reg-  
num obi-  
it.

Portentum  
cognati The-  
conspicuum.

Symmachus, & huius gener, Boetius, à suis maioribus gen-  
tis nobilitatem adepti, inter Romanos & senatorios uiros  
principes erant, & Consulatus utriq; dignitate perfuncti,  
Philosophiæ supra cæteros & æquitati studuerant, multiq;  
tam ciuium quam externorum inopiæ succurrendo, saluti  
fuerunt. Hi postquā ad ingentem gloriam euasere, deterrimos  
quosq; in sui inuidiā concitarunt. Nā his delatoribus Theo-  
dericus Rex persuasus, Symmachum Boetiumq; res perinde  
nouantes occidit, eorumq; bona omnia publicauit. Sed pau-  
cis post diebus cognanti sibi, cum miræ magnitudinis piscis  
ministri decoctū caput apposuissent, Symmachi nuper oc-  
cisi caput illi est uisum, præfixis & extantibus inferiore in la-  
bro dentibus, & torue intuentibus oculis, furibunde sibi &  
acerbius comminari. Vnde monstri nouitate territus, mem-  
brisq; præter modum tremebundus & rigens, in cubiculum  
statim citato gressu secessit. Identidemq; iubendo, togarum  
ut sibi uim magnam ingererent, lecto decubuit, et parumper  
quieuit. Elpidio deinde Medico omnibus, quemadmodum  
accidissent, diligentius explicatis, in Symmachum Boetiumq;  
patratum per se scelus deflebat. Quo deniq; deplorato, ex ac-  
cepta calamitate dolore ingenti affectus, haud lōge post mo-  
ritur. Cum primū id iniustitiæ et ultimum in suos idcirco ex-  
ercuisset exemplum, Quia non suo et pristino more diligen-  
ter peruestigata causa, in tantos uiros animaduertat. Hæc  
Procopius.

## DE FORMA CORPORIS ET de moribus Theoderici regis ex Sidonio Cap. XX.

Lætiora uero refert de illo Sidonius in Epistola sua, cui-  
us & supra facta est mentio. Nunc totam referam, & per  
eam de